



**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

14. Quæ Antiquorum circa Forum & iudicia, & cura & dignitas fuerit: Et de
ijs, Persarum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum denique instituta
breuiter comparata: Iudices Persarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Quae Antiquorum circa forum, & iudicia, cura, & dignitas fuerit.

Et de ijs, Perfarum, Aegyptiorum, Graecorum, Romanorum denique instituta breuiter comparata.

IVDICES PERSARVM.

CAPVT XV.

Iudices Regij apud Persas.

Primum apud Persas selecti Iudices fuerunt, βασιλῆες, seu βασιλῆες δικασταί, qui ex consultiſſimis viſis Perfarum legabantur, quorum erat perpetuus magistratus, nec nisi in demortui locum alius ſufficiebatur.

Hi ius poſtulantibus reddebant, leges patrias interpretabantur, & ad eorum collegium controuerſae omnes referebantur. Herodotus in Thalia, lib. 3. his verbis exprimit.

Iudicij nummarij Sifamnis iniqui iudicij ſupplicium.

Οἱ δὲ βασιλῆες δικασταί, καὶ ἐπιμένοι ἄνδρες γίνονται Περσῶν δοτοὶ δὲ τοῖσι δίκαις δικασταῖς. Ζου. καὶ ἐξηγητοὶ τῶν παλαιῶν νόμων γίνονται.

Quanta vero integritate ab ijs administrari iudicia reges vellent, testatur Sifamnis exemplum, qui cum ob rem iudicandam pecuniam coepisse conuictus esset, Cambyles, ex corpore eius detractam pellem, sellae intendit, in eaque filium eius iudicaturum considerare iussit. Herodotus, l. 5. in Terpsichore; Ἀπέδειξε πᾶσαν τὴν ἀνδραγαθίην, καὶ ἐνέτετα ἢ θρόνον, ἐς τὸν ἴζων ἐδίκαζε.

Eadem certe de causa, & Darius Sandocem nummarium Iudicem, hoc iudicandi munere, in comitatu suo fungentem, in crucem agi iussit, quod pecunia corruptus male iudicaret: quemadmodum Herodotus, lib. 7. scribit.

Forum Aegyptiorum, Labyrinthus, & Diacasterium.

CAPVT XVI.

Forum in Labyrintho iura

Nec minus in eate Aegyptij prudentes fuere. Ac ius quidem apud eos de rebus maximis dicebatur in aulis Labyrinthi,

thi, qui describitur à Strabone, lib. 17. Adhaec, inquit, est labyrinthi fabrica opus haud impar pyramidibus, & adiacens regis sepultura eius, qui labyrinthum construxit: locus est in primo fossae ingressu, ad triginta, quadragintaue stadia procedenti, est plantities quaedam mensali forma pagum habens, & multorum regum regiam, quot prius praefecturae erant. Nam totidem aulae sunt columnis ambitae, inuicem continuatae, omnes vno ordine, & vno pariete, tanquam paruo quodam muro, ante se sitas aulas habent.

Via vero, quae ad eas tendunt, ex aduersis sunt ipsius muri, ante ingressus cryptarum quaedam multae, ac longae, quae inter se vias flexuosas habent, ut nemo peregrinus ingredi aulam ullam possit, nec egredi sine duce.

Dignum admiratione, quod vniuscuiusque domus tabulata, ac etiam cryptarum latitudines, ex lapideis pluteis integris, & magnitudine insolenti conscriptae sunt, nullo usque, nec ligni, nec alius materiae interuentu.

At, si quis in tabulatum ascendat, quod non admodum altum est, quippe vnica contentum contignatione videre potest lapideam campum, tantis lapidibus instratum: inde ad aulas visum retorto, cernere deinceps eas septem & viginti ordine positas, & columnis è solido lapide innitentes, parietes quoque ipsos, ex lapidibus non minoribus compositos: in fine huius aedificij, quod plus stadio occupat, est sepultura quaedam, pyramis quadrangula, cuius quodlibet latus, quatuor ferè est iugerum, & altitudo par. Sepulti nomen est Imandes, dicunt tot aulas ita factas esse, quot tolerent omnes praefecturae eò conuenire, atque epulum quoddam sacris viris, ac mulieribus fiebat, sacrificij gratia Deo reddendi, & iuris dicendi de rebus maximis, quae vni praefecturae, in suam aulam procedebat.

ASSESSORES.

DE Assessoribus in Iudicijs Diodorus, l. 1. cap. 1. part. 2.

Has prope, inquit, domus erat columnis suspensa, cuius latus quoque duo iugera complectebatur: in ea statuae lignae posita haud paruo numero, repraesentantes eos, qui disceptarent, respicientes eos, qui in iudicijs sententias ferrent.